





*Chr. Thomaeus de iure detractionis. Halae 1769.*

ANALECTA  
DE  
IVRE DETRACTIONIS  
SPECIATIM FORO SAXONICO  
ACCOMMODATA

LVIII.  
1769, 4A.  
15

QVAE  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRAESIDE  
D. FRIDERICO GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISBURG. CAPITVL.  
CVRIAE IN PROVINCIA SVPREMAE. IVDIC. LVSAT.  
INFERIOR. NEC NON FACVLTV. IVRID. ASSESS.  
ET ACADEMIAE DECEMVIRO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE V. APRILIS A. R. S. H. CIOIOCCCLXIX  
PVBLICO EXAMINI SVBMITTET

AVCTOR  
IOANNES AVGVSTVS PVTRICH  
DRESDA-MISNICVS

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA



PERILLVSTRI  
ATQVE  
EXCELLENTISSIMO DOMINO  
D O M I N O  
CAROLO FERDINANDO  
LINDEMANN

SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE  
CAMERAE RERVMQVE METALLICARVM  
PRAESIDI VICARIO

PATRONO PIE DEVENERANDO

SACRA HAEC ESSE VOLVIT

A V C T O R



PETITVS

EXCITVS

D. O. M. I. N. O.

CAROLO FERDINANDO

LINDEMANN

GERMANIAE

LIBRARIUS

LEIPZIG

PATRONO P. DE VENERANDO

SACRA HABEERE VOLVIT

A. V. C. G. R.



**S**ot sunt et tanta, *VIR PERILLVSTRIS*  
atque *EXCELLENTISSIME*, quae in-  
dulgentiae *TVAE* debeo, vt pro insigni  
hac in me facilitate *TVA* copiaque benefi-  
ciorum quam *TIBI* ratione obstrictissimum et ad quae-  
uis illibatae pietatis officia paratissimum animum decla-  
rarem, iam dudum animo dubius haeserim. Quo qui-  
dem alacrius hoc certe tempore, quo ex disciplina ciui-  
tatis nostrae specimen aliquod erat edendum, occasionem  
arripui demonstrandae *TIBI* reuerentiae meae atque  
pietatis in *TE* plane singularis. Quamuis enim probe  
intelligam, iuueniles hosce labores meos doctrina *TVA*,  
in omni litterarum genere versata, longe minores fo-  
re, adeo, vt audaciae potius et inconsulti iudicii reus  
videar, qui splendidissimum *TVVM* nomen inconditis  
his pagellis meis praefigere non dubitauerim: neuti-  
quam tamen metuendum existimaui, ne pro illa *TVA*,  
qua in omnes ceteros, ita praesertim in eos, qui bonis  
artibus litant, vt i soles propensa voluntate, hoc quid-  
quid sit libelli, tamquam gratiae deuotaeque *TIBI* men-

*tis pignus, beneuole accipias. Id quidem si impetra-  
uero, felicem me praedicabo, neque vnquam pro TVA,  
INCLVTAEQVE DOMVS TVAE continua salu-  
te ardentissima quaeque vota facere desinam, omni,  
qua par est, animi reuerentia ac submissione perman-  
surus*

**PERILLVSTRI TVO NOMINI**

dedi Lipsiae,  
ipsis Nonis Aprilis  
MDCCLXIX.

ADDICTISSIMVS CLIENS  
IOANNES AVGVSTVS PVTRICH.





Periculosa sane plenum opus aleae tractare semper eos credidi, qui modocunque aliquod controuersum iuris caput eligentes, in quo ingenium exerceant, omnem eius, de quo sunt scripturi, definitionem negligunt. Quum enim haec *quasi inuolutum euoluat id, de quo quaeritur: Cic. in Topicis. c. 2.* non poterit non magnam in legendo aequae ac diiudicando incertitudinem difficultatemque comparare, nisi in principio statim appareat, quaenam scribenti mens fuerit atque intentio. Immo vero, ut Antonius apud Ciceronem testatur de Oratore I. p. m. 184. et *disputantium vagari et errare cogetur oratio, si qui inter se*



se dissenserint, non idem esse illud, de quo agitur, intelligant. Atque ea potissimum ratio me adduxit, ut quum in hac iuris ambigui parte esset scribendum, fatius existimarem, hoc primo loco apponere, quid velim intelligi per ius detractionis; non quidem quo id *Lectores* ignorare arbitrer, sed ut ratione et via nostra haec disceptatio possit procedere.

§. I.

*Definitio et  
divisio iuris  
detractus in  
genere.*

Ius detractionis, de cuius synonymia *Iac. Andr. CRUSIVS* in *tr. de iure detract. in ei. Opusc. variis, Mindae, 1688. editis, cap. 1. n. 14.* et *WEHNERVS Obseru. pract. voce: Nachsteuer,* et *BECK tr. de iure detr. et emigrat. c. 1. Obs. 1.* varia tractarunt, a Doctoribus modo latiori, modo angustiori significato adsumi, vel leuiter versato tironi constat. Distinguunt enim pluri (v. *Hem. COCCENI Tom. II. Cons. 292. n. 26*) inter censum, quem vocant, emigrationis (*den Abzug*) ab iis, qui locum mutant praestandum, et gabellam detractionis, (*die Nachsteuer, Abschoss*) cui prope communiter hodie subsunt bona, extraneo quouis lucratiuo titulo delata. Quod vero quamuis non sine fundamento faciant, utrumque tamen hic coniungere ex re nostra videbatur, quum nobis sit animus, personalis aequae ac realis detractus originem et fontes et indolem paullo curatius indagandi. Quare liceat adfirmare, *Ius detra-*

*detraktionis* in genere sic consideratum, esse potestatem superioris, certam sibi vindicandi partem bonorum, quae ex sua iurisdictione in alteram transferuntur. Haec enim, opinamur, nostra enunciatio facile comprehendet utramque causam, qua detraktioni locus esse solet, ita, ut non opus sit distinguere, ubi nec instituti ratio illud postulare videtur.

§. II.

*Superiori* hoc ius competere diximus. Ita enim *Ius detractus est regale.* constat iuris publici vniuersalis principia <sup>a)</sup> docere: nemini, nisi qui summae rerum in republica praeesit, exercitium regalium de regula esse attribuendum. Quibus quidem quod ius detraktionis omnino debeat adnumerari, haud est, quod multis iam rationibus euincere enitatur, quum hoc nostro tempore vix quisquam huius asserti veritatem, tot tantisque clarissimorum viro-

a) Ad haec vero in quaestionibus circa iuris detractus fundamentum obuientibus, magis esse recurrentum, quam ad ius subsidiarium Romanum aut Canonicum, ipsa rei natura postulat. Et bene ostendit THOMASIVS in *diss. exhib. obs. select. de iure detr. ad Ord. Politic. Magdeb. c. LVI. Halae, 1709.* habita, quadrata rotundis miscere eos, qui non modo exinde originem cum RICHTERO *diss. de iure detract. Ienae, 1622.* SCHWANEMANNO *de iure Emigrat. et detract. Lips. 1642.* BALDVINO *tr. de variis LL. iur. ciuil. Halae, 1729.* recuso, et reliquis, repetendam existimant, sed vel in decidendis gabellarum causis horum iurium praecepta pro norma accipiant.



rum argumentis suffultam, <sup>b)</sup> cum BEYERO *Spec. Iur. Germ. l. c. 20. §. 4. et 5.* LEYSERO *Medit. ad π. Spec. 430. Med. 1. 2. 3.* qui tamen ipse inter vectigalia referre non dubitat *Spec. 431. Med. 3.* et BERGERO *Oecon. Iur. I. T. 2. §. 18. n. 12.* et aliis in dubium vocare sustineat. Est enim (omnes consentiunt) detractus Species vectigalis, et soli principi, a quo omnis civium defensio profuit, ius competit, tributa exigendi imponendique vectigalia, sicuti quoque eius est, prospicere, ne quid detrimenti capiat respublica, hoc pacto, vt et ea ipsi merito sint addicenda, quae ad hunc summum finem consequendum destinata persoluantur.

### §. III.

*Eo gaudent  
Status Imperii,  
vii,*

Atque hinc est, quod licet antiquis in Germania temporibus ipsos Imperatores per praefectos in urbibus constitutos eodem fere modo ac reliqua iura, ad maiestatem sua pertinentia, hoc ius exercuisse probabile sit: recentiori tamen aevo illud ad Status Imperii ita redie-

b) Ita quidem *Fridericus III.* Imperator in diplomate de institutione Ducatus Holfatici ap. *WESTFALIVM T. III. Monument. Cimbric. p. 1767.* inuestiuit Christianum I. Regem Daniae, cum hoc Ducatu: ita, vt eundem Ducatum tenere et cum omnibus ducalibus dignitatibus, iuribus — possidere, et praesertim iure auream argenteamque monetam fabricandi, venationes banniendi, GABELLAS et telonia solita sabeluandis vri, frui et gaudere possit. adde *FAVSTI Beweiß, daß das Recht der Nachsteuer ein regale sey, Frankf. 1756. 4.* *IAR-GOWS Einleit. zu der Lehre von den Regalien, c. IX,*



redierit, vt quum hi in vniuersum omnes superioritate territoriali gaudeant, quaelibet bona, quae ex sua ditio-  
ne in aliam transportantur, onere decimationis grauari  
possint; modo scilicet Legum Imperialium, c) ex com-  
muni suffragio latarum, conuentionumque inter illos  
initarum, debita simul ratio habeatur. V. KLEFECKER  
*de statu priueleg. ab Imper. concessorum quoad ius collectan-  
di Statuum, speciatim quoad ius detractiois Statuum in  
genere etc. Gottingae, 1753.* RHETIUS *de sarcina emi-  
grantium c. 2. T. 4.* BECK *de iure detract. c. 3. Obs.  
1. 2.* KNIPSCHILD *de iuribus et priuilegiis ciuitat.  
Imperial. c. XX. l. 2.* Atque idem etiam ius nobiles  
Imperii immediati, etsi superioritatem territorialem non  
habent, ex priuilegiis Imperatorum ac Regum nostro-  
rum exercent.

## §. IV.

Occurrit hic autem quaestio: Vtrum reditus ex Reditus ex de-  
tractione ad  
fiscum perti-  
nent. detractioe prouenientes ad commune reipublicae aera-  
rium, an potius ad principis fiscum proprie pertineant?  
Nec desunt hac de re sententiarum diuortia. Quum  
enim illi Doctores iuris publici adscribant ea bona, quae  
utilitati reipublicae immediate inferuiunt; huic vero non,  
nisi ea, quae ad sustinendam summi Imperantis dignita-

B 2

tem

c) cfr. Recept. Imperii de an. 1530. §. 60. 1555. §. 24. 1594.  
§. 82. ap. OLENSCHLAGER *in der Sammlung der Teut-  
schen Reichs-Abschiede.*



tem splendoremque comparata, et ex post facto tantum rei publicae profunt, attribuant: factum est, ut quonam detractionis commoda sua natura debeant referri, multum dubitationis oriretur. Sed ad fiscum tamen ea referenda esse haec inprimis ratio suadere videtur, quod ius detractum exigendi locum sibi vindicat inter ea regalia, quae minora vocantur, et quae quidem maximam partem in Germania fisco accommodata spectantur. v. SECKENDORFS *Fürsten-Staat. P. III. c. 2. rubr. et fin.* Cui insuper accedit, quod redditus ex gabella redundantes non sunt perpetui, sed extraordinarii, qui quippe non ad aerarium, sed ad fiscum pertinent. v. KLOCKIUS *de aerario l. i. c. 2. n. 9.* Imo ita fere ubique obtinere, recepta hodiernum praxis testatur.

§. V.

*Principis est definire, quem velit in detractione modum haberi.*

Quae vero quum ita se habeant, prono exinde aluo promanat, licere principi modum detractionis pro lubitu definire. Etenim quum ei ius publicum maius concedat, quod scilicet omnem subditis emigrationem noxiamque bonorum translationem prohibere iure suo valeat: non dubitandum erit de eo, quod minus est, quatenus quippe internus cuiusvis regionis status et pacta fundamentalia non sunt contraria. Ita vero, quod ad Germaniam attinet, Recessibus Imperii cautum est, emigrationes licere: *gegen ziemlichen billigen Abtrag der Nach-*



*Nachsteuer, wie es ein jeder Ort von Alters anhero üblichen, hergebracht und gehalten worden ist etc.* atque in Instrumento Pac. Osnabrugens. art. V. §. 37. *exportatae substantiae plus aequo extensa decimationes* interducuntur. Unde patet Principum arbitrio non esse amplius relictum, quid gabellarum nomine a subditis exigere velint, sed rationem esse habendam tum aequitatis, tum vero etiam morum suae cuiusque provinciae. cfr. HENNINGESII *Medit. ad Instrum. Pacis Caesareo-Suevic. Spet. IV. p. m. 632.* Quo magis magistratus municipales, quibus concessum est ius detractus, v. §. insequ. leges sui territorii hac in re pro norma habere debent, <sup>d)</sup> Ad quos tamen solos restringimus hanc, quam alias ventilant, regulam, nempe ius detractionis, tamquam odiosum et libertati naturali admodum contrarium, strictissimae esse interpretationis, adeo, ut ad plenariam exercendi huius iuris potestatem probandam non sufficiat; si de hoc vel illo casu actus possessorios proferant, nec a reali ad personalem, a mobilibus ad immobilia et porro iusta deduci possit consequentia. v. IOAN. GEORG. EAMMII *Comment. de gabella detract. vel emigrat. Vinariae, 1751. recusa, cui multa insunt singularia.* Nam quod ad Praefectos attinet, de his valde adhuc dubitandum

B 3 crit,

d) In Saxoniam Electorali in dubio vicefima detrahitur, nisi ius repressalium aliud suadeat, v. c. contra Ducat. Magdeb. decima in usu est. vid. Rescript. Camerae d. 5. Junii, 1714. quod tamen de reali tantum detractione disponere videtur.



erit, cum ipsius potius principis nomine hoc ius exerceant. Sed cautum tamen est in Saxonia, vt, si quae fortasse dubitatio occurrat, res ad ipsum Principem referatur, et diuersa ibi reperiuntur rescripta, quae casus, quando bona extra territorium transferuntur pariter, quam si in territorio manent, persona vero domicilium mutat, decidunt. *vid. Rescript ad Praefect Zuickauiens. d. 11. April, 1725. Edict. general. d. 4. et 9. Martii, 1747. d. 24. Martii, 1751. d. 24. April, 1752. Rescript. Cameral. d. 8. May, 1759. etc.*

#### §. VI.

*Ex concessione  
exercent ma-  
gistratus.*

Posito igitur axiomate, quod ius gabellarum regulariter ad solum Imperantem pertineat; consequi necessum est, vt et hoc, sicuti reliquae regalium species iure magistratus proprio a subditis exerceri nequeat. *cfr. ZIEGLER de iure Maiestat. l. c. 3. §. 18. WERLHOFF de alienatione iurium, quae vocantur regalia. Sed quum beneficio quodam principum iura fisci, etiam quatenus ad regalia, imprimis minora, referuntur, v. BERGERI Oecon. Iur. I. T. 2. IV. cum superiore iurisdictione vt plurimum coniuncta sint, ea re videtur nobis effectum esse, vt magistratus etiam municipales et qui iurisdictionis priuilegia habent, v. SCHEPLIZ Consuet. March. P. III. T. 8. §. 5. n. 1. ubi verba: den Abschoss nimmt der, so über den Hof, daraus die Erbschaft genommen, die Gerichte hat. THOMAS. c. Diss. §. 15. COCCII diss. de iure detract. ad subleuanda eius*



cuis onera, quae saepe sunt grauissima, hoc ipso iure detractionis vti possint. Itaque nisi magistratus, qui exigere gabellas velit, aut priuilegio principis, aut immemoriali praescriptione, quae in his causis non raro expressae concessionis vices obtinet, v. THOMAS. *cit.* l. §. 14. 15. IARGOVIVS *all. tr.* §. 16. p. 55. haec iura se adquisiuisse doceat: non poterit detractus exercendi potestatem sibi sumere, quum in his rebus non sufficiat nudam possessionem allegare, sed titulus quoque edi debeat.

§. VII.

Quo circa mirandum est, quod multi, etiam summi viri, quorum vix numerum ferret haec nostra pagina, vel ius gabellarum in genere, e) vel saltim id, quod reale vocatur f) cum ipsa iurisdictione propria ita coniunctum perhibere sustinuerint, vt salua eius substantia abesse nequeat. Fundamentum enim plerumque in eo ponunt, quod scilicet antiqua potestatis dominicae iura in sequentibus temporibus sub iurisdictione fuerint comprehensa, dominique iurisdictionales in iura veterum dominorum successerint. At hoc praesuppositum

*Origo non ex  
iurisdictione  
ipsa petenda.*

e) v. PFEFFINGERVM ad Vitriarium T. III. qui catalogum eorum exhibet. SCHWEDERVM *ad ius detract.* n. 2. MEVIVM P. VII. *Decis.* 366. Auctor Consilii ap. VNGNAD *in amoenitat. diplomat. historico-iurid.* P. XII. p. 940.

f) cfr. BESOLDI *thes. pract. aduoc.* v. *Abschoß*; ibi: *Soluitur vi iurisdictionis.* IO. PETR. DE LVDWIG *in den Hät- tischen Gelehrten Anzeigen ad an. 1731. 65. Stück. 1735. 43. Stück.*



positum non ita firmo nobis talo inniti videtur, et supra laudatus *Iargonius* satis luculenter demonstravit, vitium omnino eos in consequendo admittere, qui iura pristinorum dominorum omnia in illos postea transfisse putant, qui cum iurisdictione sunt inueltiti, quoniam in hac facta concessione ius fisci apud concedentem remansisse experientiae conueniat. Concedamus etiam, quod valeat regula, quam quidem extra omnem dubitationem positam esse sibi persuadent, cum, qui ius detractus exercet, iurisdictione aliqua debere omnino praeditum esse, cfr. *LAMMII comment. alleg. §. 12.* neutiquam tamen inuersa vice pariter recte colliges, omnem magistratum, iurisdictione munitum, eo ipso etiam ius tributorum collectarum-ve, cui detractus subest, habere. Nonne enim salua semper manebit iurisdictionis notio, etiamsi ab ea, uti decet, iura fisci fecernas? Nos certe sic putamus, quum iurisdictione hic nobis nihil sit aliud, quam potestas iudici collata, de causis controuersis cognoscendi, iudicandi et latam deinde sententiam exequendi. Latius tamen aliquando, consentimus, iurisdictionis vocula patet, et nosmet ipsi in definitione supra §. 1. exhibita *THOMASII* verba sequi maluimus, qui quidem rem melius explicari posse ostendit, si illa bona iuri detractus obnoxia dicantur, quae ex vna iurisdictione in alteram transferuntur, hac vsus ratione, *quia ius detraktionis tum quoque obtineat, licet res in eodem territorio remaneat.* Nihilo vero minus

nus absit, vt hoc ipso per indirectum adstipulemur eo-  
 rum opinioni, qui ex ipsa iurisdictione in genere deri-  
 uandum aurumant, quod eius possessores iure decima-  
 tionis fruuntur; quamuis de alta, quam vocamus iuris-  
 dictione, cum qua quodammodo iura fisci sunt con-  
 iuncta, aliter sentiamus.

§. VIII.

Namque vt illud statuant, communis DD. de pri-  
 ma iuris detractus origine coniectura eos adduxit, quae  
 tamen ad definienda huius iuris initia sola sufficere non  
 videtur. BEYERVS enim *l. c. c. XX.* cui accedunt HEI-  
 NECCIUS *Element. iur. Germ. L. I. T. 2. §. 61.* \*  
 SCHAVMBURG *Einleit. zum Sächsl. Rechten, Exercit.*  
*VII. §. 8.* LEYSERVS *Spec. 430. Med. II.* KEMMERICH  
*Access. Inst. iur. ciuil. L. 1. S. 4. Chr. Gottlieb* RICCIUS  
*zurverläsigl. Entwurf von den Landsässigen Adel in*  
*Teutschland, c. 25. §. 8.* et fere plurimi, hanc rem tra-  
 ctantes, quos modo consulendi copia nobis facta est,  
 student euincere, ex dominica veterum Germanorum  
 potestate prouenisse ius detractus. Nempe quum ho-  
 diernus ordo nobilium, quem olim constat ultra inge-  
 nuitatem non adscendisse, ab onere detractiois immu-  
 nis sit, patroni istius opinionis caussam huius rei inde  
 repetunt, quod his solis licuerit pro arbitrio solum  
 mutare. Homines enim proprios, glebae adscriptos,  
 libertos, quamquam speciem libertatis prae se ferrent,  
 censibus tamen et operis obnoxios fuisse, eosque adeo  
 C potesta-

*Neque ex sola  
 Germanorum  
 prisca seruitu-  
 re descendit.*



potestatem discedendi pretio velut redimere debuisse. Enimvero quod nobiles immunes sunt ab hoc onere, id videtur potius ex favore militiae ortum esse, quo ipso effectum est, ut multa iis praecipue concederentur. Inde quidem est, quod olim soli feuda possidere poterant, et quod hodiernum immunitate vectigalium et tributorum gaudent. Deinde ex hac ratione non potest intelligi, quomodo burgeneses et ciuici ordinis homines obnoxii gabellis facti sint. Atqui ab his constat iam antiquissimis temporibus hoc vectigal exactum esse. Ita enim in iure municipali *Apenradensi* apud *Ioan. Henr. DREYERUM in der Samml. vermischter Abhandlungen zur Erläuterung der Teutschen Rechte und Alterthümer etc. Tom. III. p. 1394.* quod anno MCCLXXXIV. scriptum est, hac de re ita legimus: *We dar fahret uth der Stadt Fryheitt, unde giffi he sin Ore Pennige nicht, he gelde dem Vagede ersten tho Broecke 3. Ore Pennige, und vor Ijslick Feltmarck, dar he awer fahret ock 3. Ore etc.* vbi illud vocabulum: *Ore Pennige* profecto nihil significat, nisi vectigal, quo venia discendi redimitur. Etenim si CRAMERO *de iure Nobil. auit. c. II §. 7. p. 78. seqq.* fides haberi posset, nullam ea res haberet difficultatem. Is enim quum seruilis fere generis homines in oppida coisse existimet, varia eodem iura adlata esse opinatur, quae seruis propria essent. Verum et SELCHOVIUS *de iuribus ex statu ingenuorum in Germania pendentibus. c. 1. §. 6. seqq.* docuit, seruiles burgenesium origines probari



hari non posse, et obseruatum etiam est ab aliis, ab eiusmodi iure, quod in homines proprios praecipue exerceatur, pro seruitute praestantis aut seruili saltim origine argumentum inferri non posse, quum saepe sit reale onus, atque adeo de liberis hominibus, ministerialibus, et nobili etiam loco natis exigatur. v. STRYBEN de mortuario, onere reali in *Obs. iur. et hist. Germ. p. 244. seqq.* et SCHEIDIVS de nobilitat. p. 171. Quae vero etsi a nobis ita disputantur, tamen non audemus transire in sententiam RECHENBERGII *progr. in memoriam Bornianam Lips. 1742. conscripto*, aliorumque magnorum hominum, qui nec ortum inde nec oriri potuisse ius detractus putant. Sed lubenter concedimus, potuisse fieri, vt hic antiquus Germanorum mos, capiendi partem ex bonis libertorum, qui discederent, iis, apud quos maiestas esset, occasionem daret, simili quodam iure in subditos, bona sua aliorum transferentes, vtendi. A qua re non longe abest OLENSCHLAGERVS, *Vir Celeberrimus*, qui in *Commentario ad Auream Bullam p. 191.* hoc genus vectigalis e censu Iudaeorum abeuntium ortum esse conicit. An vero recte; videant alii. Certe Iudaeos olim notum est, seruorum loco habitos esse. v. SCHILTERVS *Exercit. 37. 15. seqq. et Iur. Publ. T. I. L. I. T. 4. §. 6.*

## §. IX.

Plurimum vero in inquirendis iuris gabellarum primordiis omnino dandum esse censemus illi Germanorum

*Sed simul in odium peregrinitatis respiciendum.*





in exteros odio, cuius luculentissima passim in nomothe-  
sia nostra vestigia occurrunt. Licet enim dicas, tantam  
priscarum illarum gentium in aduenas humanitatem fuisse,  
vt vel hospitio eos lubenter reciperent, receptosque  
violare fas non putarent; v. CAESAR *de B. Gall. VI. c. 21.* TACITVS *de Morib. Germ. c. 21.* Atque eos  
adeo ciuitate donarent, et ad officia publica ipsis aditum  
aperirent; v. SCHILTERVS *de iure Peregrinorum*,  
negari tamen nequit, quod indigenis semper multa prae-  
cipue data, et in peregrinos contra odiosa quaedam iu-  
ra fuerint statuta. Habes eius rei perspicuum in iure  
Albinagii exemplum, quo hereditates peregrinorum fi-  
sco ita addicuntur, vt omnes defuncti agnati, in alieno  
territorio habitantes, excludantur. cfr. FRANCKEN-  
STEIN *de usu Albinagii in Germania.*

## §. X.

*Neque rariora  
est ius ini-  
quum.*

Quamquam autem ex hoc potissimum priscorum  
Germanorum in peregrinos odio detractus origines de-  
ducimus: nulla tamen exinde de iniquitate illius, prae-  
sumptio peti potest. Vt enim iam nihil dicamus de iu-  
stitia, de qua ex veris iuris publici vniuersalis praeceptis  
fatis constat, facile erit probandum, quod ius exigendi  
hunc censum singulari etiam aequitate innitatur. Cfr.  
LAMMII *comment. exciit. §. 2. et 39.* Nam debent  
omnino emigrantes protectionem ac defensionem sibi  
hactenus praestitam remuneratione quadam compensare,  
atque interest etiam reipublicae, vt quodammodo resar-  
ciatur

ciatur damnum, quod ex emigratione subditorum, sua secum auferentium, redundat; cfr. HEVMANN'S *Geist der Gesetze der Teutschen* c. 2. §. 8. c. 25. §. 11. CRAMER in den *Wezlarischen Nebenstunden*, P. VI. p. 1. seqq. quia hoc ipso, subditi dum bona sua, non raro in eadem, quam relinquunt, regione parta, nexui publico subducunt, tributorum soluendorum quantitas non sine publicae rei magno incommodo minuitur. Adde SCHAVMBVRGS *Einleit. Exerc. VII. §. 7.* CRVSI *tr. cit. c. 2.* Sunt quidem qui contrarium ex ipsis legibus deduci posse contendant. Prouocant e. g. *ad Const. Elect. Saxonie. XXXVIII. P. III.* ubi ius talionis, quo extra Saxoniam maxime nititur gabellarum causa, tamquam iniquum ventilatur. At haec non ita generaliter intelligendum existimamus. Quum enim omne, quod naturalem libertatem restringit, iniquum quodammodo dici soleat, vix est, vt alio hic sensu dictum accipiamus. Atque qui contra iniquitatem huius vectigalis, tamquam maxime odiosi, pugnant, fortasse non credunt, utilitatem publicam priuatorum commodo esse anteponendam, id quod tamen, vt vt inceteris, ita et in hac causa certissimum est.

## §. XI.

De hoc solo fortasse dubium moueri posset, an *Dubitatur* cum aequitate conueniat, quod Principes diuersis magi- *ratione municipiorum in eodem territorio.* stratibus eiusdem territorii permittant, vt in subditos, fortunarum sedem sub aliam iurisdictionem transferen-



tes, ius detractionis exerceant. Cfr. KLINGNER'S *Samml. zum Dorf und Bauern Rechte*, P. IV. c. 3. §. 2. WEHNERVM v. *Nachsteuer*. COTHMANNI *responsf. Academic. XX. n. 58*. Nam nullum inde vniuersitati publicæ damnum prouenit, licet bona in aliud municipium veniant, quoniam ex territorio non auferuntur, sed semper adhuc tributis subiecta manent. Et solent certe magistratus nonnulli, nescio quo malo genio ducti, in exercendo hoc iure plurima saepius admittere, quae iniqua vocari possent, atque in accipiendis exhibendisque litteris reuersalibus, ad quod quidem cogi nequeunt, v. BERGERI *Oec. Iur. I. T. 2. §. 9. n. 4.* nimis duri iuueniuntur. Nihilo tamen secius quam Principes iis, qui semel ab antiquo tempore in possessione erant detractus exigendi, illud ipsum ius ita confirmauerint, vt legibus prouincialibus conuenienter <sup>g)</sup> eo vtantur, ad eo melius sustinenda iurisdictionis incommoda; atque etiam certum sit, quod iurisdictionis fructibus omnino aliquid detrahatur, si ciuibus locupletibus sua bona subducere impune liceat: iniquitatis profecto accusari haud poterunt, si partem alii addicendorum bonorum sibi retineant. Euitanda enim est inaequalitas, quae exinde metuenda esset, si quis magistratus

g) Quomodo vero hoc recte fiat, eleganter docet Senex nostri saeculi clarissimus CHRIST. GOTTLIEB RICCIUS in *den zuverläss. Entwurf von den Stadtgesetzen L. II. c. 19.* qui praeter ceteros in vniuersa rectorionum materia non sine fructu erit consulendus.



❖   ❖   ❖

tus loci hoc iure vteretur, alter vero retorquere illud in communem suorum fraudem non posset. Bene tamen prospiciunt superiores subditorum salutem, qui, quantum fieri licet, omnimodam magistratuum inferiorum potestatem hac ex parte restringunt; id quod multis in provinciis factum esse, ciues laetantur. *Cfr. Ord. Polit. Magdeb. c. 56. et per Decis. Elect. Saxonie. VI. de an. 1746.* ab iis, qui se suaque alium in locum Saxoniae, ubi detractus legitime<sup>h)</sup> est introductus, conferunt, ex sola talionis causa neque ipsa gabella, neque maior eius summa exigi debet. Quam quidem legem de personali tantum detractu disponere, nonnulli ex verbis: *Sich begeben* etc. concludunt, quamvis fortasse ratio et contextus generalem potius interpretationem suadeant. Nam eadem adest ratio, nec obstat, quod correctoriam hanc legem asseras, cuius quippe talis natura sit, ut ad similes causas extendi nequeat. Largimur enim expeditam alias iuris regulam esse, quod in lege correctoria interpretatio tantum restrictiva adhiberi debeat, *quando scilicet tota legis ratio cessat*; aliter tamen sentimus decidendum

h) Probatur legitima introductio vel ex speciali privilegio, vel ex obseruantia per actus publicos, continuos et ex necessitate uniformiter gestos. *Cfr. LEYSER Cit. loc. Spec. 430. M. d. IV.* vel illis deficientibus, per testes de recepto huius iuris exercitio inde ab hominum memoria deponentes; imo contra extraneos solum retorsionis fundamentum sufficit, etiam in Saxonia, quia hac in causa ius commune per *Decis. supra* memoratam, non modo non immutatum, sed expresse potius confirmatum est.



dum esse de ea interpretatione, quae ex rationis, vt aiunt, identitate fit, quam in omni lege, etiam correctoria, locum habere asserit BERGERVS *Oecon. Iur. I. T. I. §. 12. p. m. 7.* Imo vero totam hanc legem declaratoriam potius, quam correctoriam vocari posse nobis persuasum est.

### §. XII.

*Omnia bona transferenda, etiam minima, in hunc censum veniunt.*

Subsunt autem detractui omnia bonorum genera, res mobiles aequae ac immobiles, corporales et incorporeales, positae quippe terminis habilibus, quando ea alio transferuntur. Cessante enim bonorum translatione cessat etiam gabella, nec sufficit, si quis quoad personam tantum ex vno territorio in aliud, de loco ad locum se conferat. v. LAMMII *comment. alleg. §. 17.* Neque erit distinguendum, vtrum magnae sint opes, an exiguae, quidquid etiam dicat THOMASIVS *l. c. §. 29.* nisi vel lex, vel mores contrarii, vel speciales conuentiones obfent. Cfr. BECK *c. l. c. 7. Obs. 16.* Quae vero quum ita varient, vt singula inuestigare haud aequum esset futurum, mittamus ista. Finienda enim tantum est regula, non anxie curandum, quae diuersis locis exceptiones habeantur. In Saxonia nostra, vbi hae de re paucissimae leges, eaeque maxime de singularibus causis latae sunt, constat, detractui locum esse in transferendis vniuersis hereditatibus aequae ac particularibus, fideicommissis et legatis, exceptis tamen iis, quae ad pias causas, stipendiorum alimentorumue gratia relinquuntur. Atque etiam de

de donationibus mortis causa, quae legatis in omnibus ita equiparantur, ut inter contractus et ultimas voluntates quasi fluctuent, §. 1. *Inst. de donat.* sicuti de reliquis dubium vix erit. Cfr. KNIPSCHILD *L. 2. de iur. et priuil. ciuit. Imperial. c. 26. n. 29.* Neque enim nos mouent, quae BERLICHIVS *P. III. Concl. 52. n. 58.* contra hanc rem profert, quod scilicet statuta, ius detractus inducentia, odiosa sint, et proinde strictae interpretationis, nec de vno casu ad alterum, etiam ex identitate rationis, extendenda; cui tamen CRYSIVS *l. c. cap. XIV. n. 14.* accedit, addens: in odiosis donationem mortis causa non instar legatorum esse, sed vicem contractus obtinere, et BECKIVS *c. l. c. VII. Obs. 13.* qui iisdem fere rationibus innixus idem statuit. Primo enim de singularibus statutorum ordinationibus nobis non sermo est, quas quidem strictae interpretandas salua nostra thesi possumus concedere. Sed loquimur de eo casu, si generalis dispositio existat. Tum enim de genere ad species quo minus iuste concludamus, nihil esse videtur quod nos impediat. Deinde etiam quodsi in eo conuenire velimus, quod hic in quaestione mortis causa donatio vicem contractus sustineat; certum tamen est, et in contractibus gabellae locum esse, dummodo bonorum translatio simul concurrat.

§. XIII.

Ast de dote valde disceptatur, vtrum gabellae obnoxia sit habenda nec ne? Eam enim ab hoc grauamine

*Quid iuris  
circa dotem?*

D

dupli-



duplici potissimum ex ratione liberatam volunt, tum quia  
 interest reipublicae, ne virgines mancant indotatae, aut  
 dotes imminuantur *secundum Paullum in l. 2. ff. de iure  
 dotium*; tum etiam, quod tantus in iure dotis fauor est,  
 vt vel alimentorum causae anteponatur adeoque piis cau-  
 sis accenseri soleat, *l. 31. D. de condict. indebit. l. 1. eod. so-  
 luto matrimonio etc.* Et comprobant hoc certe nonnul-  
 larum prouinciarum recepti mores, teste SCHEPLIZIO  
*ad Consuet. Marchic. P. III. T. 8. §. 18.* CRYSIO *cit. tr. c.*  
*IX. n. 10.* BECKIO *alleg. loc. c. VII. Obs. 14. Ord. Polit.*  
*Magdeb. c. 56. §. 7. quam tamen, quod ad ius retorsionis*  
*contra extraneos, per nouam Constitutionem de an. 1693. in*  
*hoc capite immutatam testatur THOMASIVS cit. diss. §. 32.*  
 Alibi vero contrarium obseruatur; v. WEHNER v. *Nach-*  
*steuer*, atque eadem subest etiam ratio, et per exporta-  
 tionem bonorum dotalium aut matrimonialium in gene-  
 re ciuitas, cuius quasi in sinu haecenus fuere, iacturam fa-  
 cit, id quod tamen, vt quantum fieri potest, euitetur,  
 acquissimum est. Accedit quod dotis causa etsi com-  
 pluribus alias priuilegiis munita, originarie tamen semper  
 ad priuatorum commodum spectat et ex post facto tan-  
 tum publicam vtilitatem promouet, quum contra per ex-  
 orbitantem rerum translationem respublica immediate  
 damnum sentiat. Tum vero etiam dos collationi ob-  
 noxia *l. 1. ff. de dotis collatione. l. 8. C. de Collat.* LEYSER  
*Medit. ad r. p. m. 5054.* et ceteris rebus hereditariis, quae  
 coniunctim detractui subiiciuntur, v. *supra §. 12. accense-*  
 tru

tur. Quae quidem omnia, quantum nobis constat, factis efficiunt, ut statuamus et dotem de regula iuri detractus, si modo generaliter sit receptum, obnoxiam esse habendam; quemadmodum contra non negamus, omnem fere hodie decisionem ex consuetudine, tamquam optima rerum magistra, esse petendam. Adde IOH. FRIEDR. EISENHARDT'S *Erzählungen von besondern Rechtsbändeln*. T. II. p. 117.

## §. XIV.

Ad nomina quod attinet, certum est, ea ex persona creditoris iudicari v. BRUNNE MANN *ad l. 12. C. de praescript. longi temp. etc.* At multum agitata est quaestio ratione nominum in extraneum delatorum, num de iis gabella debeat praestari, quum neque mobilibus, neque immobilibus bonis proprie sint adscribenda, sed peculiarem speciem constituent, *arg. l. 7. §. 4. D. de pecul. l. 15. §. 2. eod. de re iudic.* in odiosa vero iuris detractus materia non, nisi restrictiva interpretatio locum sibi vindicare possit. Belle sanae haec omnia, ingeniose ac lepide excogitata! Ergo ne nomina bonis non comprehenduntur? At vero quis est, qui hoc neget? et cur non valeat de parte id, quod de tota affirmas? cfr. THOMASIVS *cit. diff. §. 31.* BERGERVS *Oecon. Iur. L. I. T. 2. §. 18. n. 3*, qui varia ad comprobandum eius usum attulit. Omnia quaelibetunque bona subsunt detractui: ergo et nomina, si modo sint certa atque exigibilia. v. de LYNCKER *Cent. V. Dec. 495.* BECK *c. 1. Obs. 9. cap. VII.*



LEYSER c. l. Spec. 132 Med. VII. Neque exigenda erunt ea, quae extra territorium posita sunt, ut probat modo excitatus LEYSERVS Spec. 430. Med. V. CARPZOVIVS P. III. Const. 38. Def. 19. n. 10. BERLICHIVS Const. LII. n. 70. seqq. Certe illa intuitu terrarum Brandenburgicarum in Saxonia ex fundamento retortionis detractui subiiciuntur per *Mandat Elect. d. 8. Martii, 1749.*

§. XV.

*Quid de bonis  
immobilibus?*

De rebus immobilibus vel soli, ut qui cum lege loqui malunt l. 7. §. 4. D. de pecul. appellant, vix operae pretium erit, ut multa hic adiiciamus, Cramben enim centies coctam recoquere non placet. Et quamvis de immobilibus proprie dici nequeat, quod ex territorio possint auferri, quod tamen ad obligationem praestandarum gabellarum necessario requiritur; ratione tamen pretii, ex earum alienatione redacti, (deducto puta aere alieno, imprimis eo, quod sub hypotheca contractum est, et sine quo bona non intelliguntur, l. 11. D. de iure fisci. l. 31. nod. §. 1. d. V. S.) etiam haec detractui merito obnoxia sunt, quod a Doctoribus non solum iam ita pertractatum est, ut Iliada post Homerum canere temerarium profecto atque inane consilium esset futurum, sed communi quoque in foro usu comprobatur. Id solum singulare in Saxonia notari debet, quod per *Rescript. Elect. d. 24. April. 1752.* praefecti Electorales tum demum gabellam exigere possunt, quum quis exeundi causa, pluribus praediis, quae in territorio habuit, venditis,



ditis, tandem etiam vltimum alienet. Equidem enim nescio, an hoc cum ratione et fine iuris detractus, ne scilicet bona gratis aliorum transportentur, prorsus conueniat. Nam quamuis communis Doctorum sententia ferat, quod extraneo bona immobilia in ciuitate retinenti, quum horum intuitu tributis nihil decreseat, quantumuis aliquid eorum vendat pretiumque secum auferat, nihil etiam detrahi possit et debet: v. LEYSER *Spec. 431. Med. VII.* neutiquam tamen inficias ire possumus, rempublicam aliquid detrimenti capere, si quis ratione vnus tantum tributis obligatus maneat, pecunias vero, ex reliquis redactas, gratis inde asporter. Quid? quod huic ipsi legi plurimas ac commodo publico perniciosissimas fraudes fieri consueuisse, quotidie fere animaduertimus.

## §. XVI.

Veniendum nunc est ad eos, qui ad detractionis onere liberantur. Etsi enim certissime nobis persuasum habemus, quod quemadmodum omnia in genere bona, nisi speciatim excepta, huic vectigali praestando obstringantur, ita etiam de personis sit statuendum: sunt tamen sine dubio, quos aut lex aut consuetudo eximit. Pertinent huc primo loco milites, qui neque fixum domicilium habere creduntur, neque magistratui ordinario subsunt, ideoque publicis vectigalibus exfoluendis haud obnoxii haberi possunt. Testatur de vsu practico quotidiana experientia et *Ioan. Petr. de LVDEWIG, in den Hällischen*

*A detractione  
exiuntur  
milites.*



*lischen Gelehrten Anzeigen ad ao. 1735. 43. Stück §. 15.* expressum priuilegium exhibet, quod militibus Brandenburgicis immunitatem a gabellis confirmat.

§. XVII.

*nobiles.*

Illos excipiunt nobiles, quorum quidem immunitatem nonnulli ex ipsa iuris detractionis prima origine deriuandam censent, *v. supra §. 8.* vbi quid nos hac de re sentiamus, breuiter apposuius. Hoc certe patet, quod eiusmodi immunitatis longe alia hodie sit ratio, quam quae olim obtinebat, nec ceteram in eo turbam sequi erubescimus, quae fundamentum, quo nobilium priuilegium nitatur, ea in causa ponit, quod illi etiam in ciuitate habitent, magistratus tamen municipalis iurisdictioni, cuius hodie commodum est ius detractionis, non subsint. Confirmatur non solum nobilibus haec a gabellis exceptio per varias expressas constitutiones, quarum nonnullas adfert LÜNIG *in corp. priuileg. Nobil. Landsaff. T. I. et II.* et de Ducatu Magdeburgico testis est THOMASIVS *l. c. §. 40. et 43.* sed plurimorum quoque iudiciorum, auctore eodem THOMASIO *in den Juristischen Händeln, p. m. 220.* recepta obseruantia stabilitur, etiam in Saxonia, licet ibi specialis lex non inueniatur, praeterquam quod in *Rescript. d. 13. Febr. 1721.* ratione nobilium exterorum causas ad principem deferri oportere, sancitum videmus. Verum enim vero multae saepius in foro difficultates circa vigorem huius immunitatis obuenire possunt, ita, vt ambigua sit decisio, an in hac vel  
illa





illa causa ad personam accipientem magis, quam ad re-  
linquentis bona sit respiciendum. Fac enim: Caium  
extraneum, non nobilem, heredem relictum esse a Ti-  
tio nobili. Ille bona iusto hereditatis titulo sibi delata  
secum exportare intendit. Quid tum fiet? Vtrum potest  
iste magistratui, ita postulanti, gabellam negare, nec  
ne? Neutiquam ita putamus. Nam ius hoc singulare,  
nobilibus concessum, personale est, ac strictae interpre-  
tationis; et quum accipientis conditio impediatur, quo-  
minus huius privilegii effecta in se possit extendere, se-  
quenda erit regula, quae omnes, sigillatim non exceptos,  
ad pendendum hoc vectigal obligat. Nec abest, quod  
dicas, hereditatem defuncti locum obtinere *arg. l. 31. §.*  
*1. D. de hered. instit. ac persona eius fungi, l. 22. D. de fi-*  
*deiussor. et mandator. l. 9. C. depositi vel contra.* Quis  
enim est, qui hoc adfirmare velit postea, quam here-  
ditatis semel est adita?

### §. XVIII.

Iam noua oritur difficultas ratione feudorum atque *Vtrum posses-*  
vasallorum. Nempe quum possessores feudorum nobi- *sores honorum*  
lium, ut ut a multis, inprimis que a STRVVIO, *syntagm. feudaliu li-*  
*berentur?*  
*iur. feud. c. XI. Aphorism. V. n. 16. edit. Francos. 7mae*  
*p. 417. et STRYCKIN Vj. Modern. D. de iure immunitat.*  
§. 4. demonstratum est, seruitiorum praestandorum gra-  
tia immunitate vectigalium ac tributorum gaudeant,  
quaeritur: num quid gabellarum nomine exigi ab iis  
possit. Quod vero neque per totum adfirmari, neque  
negari



negari posse, sed multiplici potius cautione opus habere existimemus. Ac *primo* quidem videndum, vtrum quis vnus tantum feudi, an plurium sit possessor. Et enim si quis plura possideat, per ea, quae *supra* §. 15. disputauimus, facile intelligitur, hanc de exigendis gabellis quaestionem non posse prius moueri, quam si omnibus feudis bonisque immobilibus venditis cum pretio velit discedere. Contra autem ab eo, qui vnus tantum feudi nomine vasallus est, neque etiam alios fundos possidet, eo statim tempore, quo vendito feudo discedere intendit, gabella poterit exigi, modo alias huic iuri sit obligatus. Namque haec est *altera* cautio, vt videamus, vtrum is, qui cum pretio feudi venditi emigraturus est, ex numero eorum sit, qui ad soluendam gabellam obstringuntur, obstringuntur, an verò minus? Quodsi enim nobilis sit, vel iure quodam alio singulari ab hoc onere immunis, res certa est. E contrario vera si nec sit nobilis, nec in vniuersum alia ex causa immunitate decimationis gaudeat, non intelligi potest, quare quod alii praestant, ipse praestare non debeat, quum post venditionem feudi non amplius sit vasallus, neque etiam pecunia ex feudo vendito redacta pro feudo haberi possit. *II. Feudor. 26. §. 21.* Neque obiciat forte quis locum *Ord. Proc. Rec. ad T. XL. §. 3.* quo eiusmodi pecunia ex feudo vendito parata, in feudum rursus conuerti iubetur. Nam ille locus de alienatione necessaria est intelligenda, si quid fortasse, solutis debitis

bicis feudilibus, residuum sit, et manet tum possessor feudi venditi huius pecuniae nomine vasallus, quod illo casu feucus se habet, quum quis vltro et de consensu domini directi feudo alienato discedat. Tum enim soluto nexu vasallitico priuilegiis vasallorum de immunitate a vectigalibus amplius vti nequit, nisi sit ex eo ordine, qui per se est ab hoc onere liberatus. Quod vero ad feuda rustica et ignobilia, vti vocantur, attinet, de his nobis haud res est, sicuti quoque non negamus, mores cuiusuis regionis ac prouinciae praecipue esse considerandos, vtpote qui saepius feuda ipsa per se a detractioe libera declarant. cfr. THOMASIVS c. l. §. 40. et 43.

§. XIX.

Sequuntur Principum ministri et aulici, quos aequae immunitate gabellarum gaudere MEVIUS P. VII. Dec. 28. STRYCKIUS VJ. Modern. ff. ad municipal. §. 10. et reliqui ostendere. Quamquam vero illud, quo maxime vtuntur, argumentum, ab exemptione ministrorum, consiliariorum aulicorumque a iurisdictione magistratus ordinarii petium, in vniuersum nobis sufficere nullo modo potest, quum omnes de regula iuri detractioe obnoxii sint habendi, neque hoc ipsum etiam ius semper et ex sua natura necessario apud eum esse debeat, qui in vrbe ciuibus ius dicit: maior tamen adest causa, quare iis hanc immunitatem competentem asseramus. Habent enim illud ratione personae ac dignitatis ex speciali priuilegio et concessione; id quod non exinde solum apparet, quia talis immunitas cum iporum morte expirat, nec ad heredes in dubio transire praesumitur; v. WERNHERI Obseru. II. P. X. sed ex illa quoque quadam ex parte obseruantia colligi potest, quae principum ministros et in sua, et in exterorum regione a detractu liberatos reddit. cfr. LEYSERI Med. V. Sp. 437. Neque contrarium erit, quod vrgeas, hanc a gabellis immunitatem alicubi ipsis aulicorum et consiliariorum bonis concessam esse, quale apparere ex Ord. Polit. Du-

Quid de ministris Principum et aulicis sit sentiendum.



cat. Magdeb. ap. THOMASIVM *diff. cit. §. 43.* Illa enim primo nobis dispositio rectissime et conditioni rei quam maxime convenienter instructa videtur, quum sit certissimum, de persona ipsa, qua tali et propria, nunquam detractui locum esse, sed potius tantum ratione bonorum, quae cum persona transeunt, quod quidem bene monuit iam alias adductus LAMMIVS *alleg. comment. §. 1.* Deinde quodsi etiam ita exceptionem statuere velimus, nondum tamen infirmaretur regula, quae omnes, speciali lege aut obseruantia non liberatos, detractioni subiicit.

## §. XX.

*Quale clericis  
priuilegium  
competat?*

Eadem fere ratione etiam sese res haberet de clericis, nisi hi, quemadmodum omnes res ecclesiasticae, quas a quibusvis ordinariis exactionibus immunes constituit *l. 5. C. de sacrosanct. eccles. c. 1. de immunit. eccles. in VI. c. 4. et 7. X. de immunit. eccles.* et quae piis causis accensentur, v. BECK *c. l. c. VI. Obs. 4.* CRYSIVS *alleg. l. c. VII.* SCHROETER *de gabella, §. 28.* ex priuilegio immunitatem impetrassent, ita, vt et eorum liberi et viduae, quatenus forum priuilegiatum non mutauerint, ratione eorum bonorum, quae seculari iurisdictioni non sub- sunt, pari iure fruuntur. cfr. LEYSERI *Med. 1. 2. 3. Spec. 431.* Imo adeo hodie eousque procedit huius priuilegii effectus, vt in dubio praesumi soleat clericorum ab onere detractus exemptio, etiamsi per expressam legis dispositionem in hac vel illa prouincia nihil sancitum inuenias. v. BERGERI *E. D. Forens. T. 51. Obs. 1. et in Decis. 32. n. 8.* BOEHMERI *Ius eccles. Protest. L. III. T. V. §. 174.*

## §. XXI.

*Quibus ac-  
censendi sunt  
Professores et  
reliqua mem-  
bra acade-  
miae.*

Qua etiam praerogatiua fruuntur Professores et reliqui ciues academici, quibus non solum in vniuersum clericorum, iura attribuuntur, et per *Auth. Habita. C. ne filius pro patre,* iis in locis, vbi studiorum causa commorantur, immunitas a vestigalibus et ab omni onere liber discessus, nisi contrarium speciali statuto, aut praescriptione introductum, confirmatur; quod

quod potissimum respectu studiosorum ex ratione, quia fixum domicilium non habere creduntur, obtinet. Imo huius rei complures adhuc causas rationesque reddidere, exemplisque recentioribus confirmarunt COTHMANNVS *Resp. Academ. XIX.* SCHWANEMANNVS *c. n. BILDERBECK. c. V. §. 24.* CRVSIVS *c. l. c. VII.* SCHROETER *de gabella §. 30.* THOMASIVS *c. diff. §. 44.* LAMMIVS *alleg. comment. §. 6.* LEYSER *Med. IV. Spec. 431.* Et de praxi Saxonica testantur CARPZOVIUS *P. III. Const. XII. Def. XVI. n. 6.* BERGER *Supplem. ad E. D. F. p. m. 630.* RAVCHBAR *P. I. Qu. X. §. XXII.*

Tandem progressum facimus ad ea bona, quae a parentibus ad liberos aut potius ad quosuis successores suos et legitimos transeunt. Occurrunt nempe hic iterum *ICTorum* innumeri dissensus, an de iis gabella debeatur, vel non? Alii in totum pernegant, hac potissimum ex ratione, quoniam notum sit, liberos et parentes vnam in iure personam constituere, adeoque de iis adfirmari non posse, quod aliena adquirent, quum ius quasi radicatam habeant in bonis, lege successione ad se deuolutis; cfr. BILDERBECK *ad SCHWANEM. c. V. CRVSIVS c. l. c. VIII.* SCHROETER *d. l. §. 36.* Alii contra distinguendum putant inter heredes extraneos et indigenas, quorum illos detractui subiiciunt, hos vero liberos pronuntiant. Et certe cuiuslibet istorum non deest auctoritas. Quot enim fere regiones sunt; quot iudicia diuersa habes: tot etiam variae spectantur consuetudines et obseruantiae, v. *de Principatu Halberstadens. Rescript. Elect. de an. 1685. de Ducat. Magdeb. Ord. Polit. c. 56. §. 7. ap. THOMASIVM c. l. §. 18. et 22. de terris Anhaltinis Ord. Prou. T. XV. BERGERI Supplem. E. D. F. P. I. p. 634. et de aliis SCHEPLIZ Consuet. March. P. III. T. 8. MEYIVM ad ius Lubecense P. II. T. II. art. 5. KNIESCHILD de ciuit. Imperial. L. II. c. 20.* Nos vero saluis legibus moribusque contrariis et statutis diuersis, de quibus nulla plane nobis iam quaestio est, id quod hoc loco semel pro semper

*Vtrum gabella cesset in hereditibus suis et legitimis?*



per, vt aiunt, repetimus, de regula neminem eximendum, nulla bona a detractioe libera iudicamus, nisi expressa probetur exceptio. Ad vectigalia enim subeunda omnes obligantur, qui ex singulari superioris gratia aut consuetudine immunes non sunt declarati. Neque videmus, cur generalis introducti iuris detractus ratio ad eos, qui legitimi heredes fiunt porrigi ac pertinere non debeat. In Saxonia tamen, vbi hac de re lex non succurrit, Doctores eos, quamuis extraneos, a gabella immunes declarare consueuissent, testis est CARPZOVIVS P. III. *Const.* 28. *Def.* 19. WERNHERVS *Obs.* LV. P. VII. BERLICHIVS *Const.* 57. P. III. n. 28.

Atque haec iam leui adumbrasse penicillo satis sit. Quamvis enim plures adhuc, eaeque non contemnendae quaestiones, circa hanc nostram causam saepiuscule obueniendae adsint, quas hoc loco penitius considerare a re forte non alienum fuisset: illas tamen post tantam summorum virorum diligentiam, vt omnes ac singulas comprehenderemus, nec rationi nostrae conueniret, quum virium tantum aliquod nostrarum periculum esset faciendum, non ampla tractatio aut omnibus numeris absolutus liber conscribendus. Quare potius hic pedem figimus, satis habentes, si quae in hoc nostro libello, arida quippe modo *pumice polito*, minus recte accurateque fuerint proposita, *humanissimi Lectores* et angustiae temporis, qua circumscripti fuimus in commentando, dare velint et occurrentibus perpetim difficultatibus, quibus remouendis in tanta rerum dubiarum multitudine nostra imbecillitas plane sufficere non poterat. Quid? quod et hanc nobis beniuolentiam eo magis expectandam putamus, quo certo est certius, quod talem laborem, qui viribus doctioribus aut maioribus opibus instructis relinquendus fuisset, non ea opinione susceperimus, ac si perfectum quid ingenio summaque elaboratum industria proferre possemus, sed vt ex voluntate *Patronorum* quantum ipsi in hac causa perspexerimus, pro virili parte ostenderemus.

73 R. 15. §. 7. lin. 8. in sequentibus, l. insequentibus. p. 11. §. 3. lin. 7. priuelegi lege priuelegiorum. p. 18. §. 8. lin. 20. Discendi lege discendi.

ULB Halle

004 053 532

3



*sb*







*Chr. Thomaeus de iure detractionis. Halo 1709.*

*LVIII.*

*1769, 4A.*

*15*

ANALECTA  
DE  
IVRE DETRACTIONIS  
SPECIATIM FORO SAXONICO  
ACCOMMODATA

QVAE  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRAESENTI  
D. FRIDERICO GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISBURG. CAPITVL.  
CVRIAE IN PROVINCIA SVPREMAE. IVDIC. LVSAT.  
INFERIOR. NEC NON FACVLT. IVRID. ASSESS.  
ET ACADEMIAE DECEMVIRO

IN AVDITORIO PETRINO  
DIE V. APRILIS A. R. S. H. CIOIOCCCLXIX  
PVBLICO EXAMINI SVBMITTET

AVCTOR  
IOANNES AVGVSTVS PVTRICH  
DRESDA-MISNICVS

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA

